



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1866

Epilogus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73889)

AUCTORE
BERNARDO.

Omnis generis
miraculis
celebrem

EPILOGUS.

Sunt namque hujus Virginis tanta virtutum insignia, ut nec sparsa per quadrifidi mundi cardines colligi possint verbis, nec tam infinita recondi paginis. Hæc enim æquora omnia, velificante Deo, permeat, hæc regiones universas lustrat, hæc se Sanctorum omnium meritis, in admirabili virtutum claritate comparat, hæc deciduo jam mundo splendidum sub ambobus polis solem Dominus ad ortum produxit, de cujus præfulgidis radiis per signorum incrementa tellus omnis irradiatur, plebs universa quotidianis beneficiis attollitur, herebi etiam egredientibus, ea duce, animabus patent recessus *a*. Hujus largissima beneficia diversis crebrescunt in patriis uberiora *b*, quam illo in loco, ubi sanctissima ejus corporis celebrantur pignora. Ad ejus tamen sacrum oratorium ægri frequentius venientes optatam promerentur salutem, cæci lumen, vexati liberationem, aridi quietem, sciatici *c* erectionem, chiliaxi *d* medicamen, epileptici *e* salutem, viteque desperati celerem reparationem.

S. Fidem prædicat Bernardus,

88 Hæc invocata bellorum frangit vires, sibi devotis triumphos parat insignes, armis melius pugnat, viribus fortius dimicat; hæc, siquando, culpis exigentibus, cælum clauditur, ut Helias reserat; claudos a grabato, ut Petrus elevat; tetra maris nubila, ut Paulus, serenat; turbidas procellas, ut Nicolaus, tranquillat; mortuos, ut Martinus Sabariensis, suscitatur *f*. Hæc in nulla virtutum potentia, cuiquam supernorum civium dignoscitur impar, in qua totius sanctitatis summa coruscat; hæc sine ambiguo Dei Genitrici familiaris assistit, quia et virginitatis candore eminet felix et potens Virgo, pretiosa paradisi margarita celestis Sponsi thalamo casto corpore juncta, clara mundi lucerna, tutissima populi patrona, decus Virginum, flos martyrum, laus angelorum, ornamentum cælorum, salus patriæ, vigor Ecclesiæ, prædo gehennæ, janua supernæ aulæ, curandorum corporum validissimum agridium *g*, suavissimum languentium anthidotum, tribulorum invictissimum præsidium. Hæc non solum membra debilia roborat, sed, quod his omnibus præcellit, culparum sordes tergit, veniam reatum a Domino cælitus impetrat, precesque supplicum, fida interpres, auribus divinæ pietatis intimat.

ejusque patrocinio homines salvari postulat.

89 Cujus virtutes gloriosissimas devotis mentibus exoramus, ut, quæ talia præstat ex terreno hospitio, nos jam pene pro peccatis Deo mortuos suscitare dignetur a vitiorum sepulchro, ut in illo resurrectionis tremendo articulo exutos miserorum sagulis hircorum *h*, de lava in vellere capdido mutet ad dextram, ubi illa provehetur ad coronam, faciatque nos in veste nuptiali illius cœnæ acciri convivio, ad ejus epulas ipsa prudens Virgo cum oleo exultationis intrabit regnatura cum Christo, cui cum Patre et Sancto Spiritu est honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen *i*.

ANNOTATA.

a Per herebi, seu potius erebi, recessus fauces mortis, ni fallor, designare voluit Bernardus, intelligitque mortuos patrocinio S. Fidis vitæ restitutos. Ubi sit, adisic, quæ pag. 321 in Annotationis lit. p docuimus.

b De his ego nihil alibi litteris proditum inveni.

c Sciaticos Bernardus vocat ischiade morbo seu coxendicis dolore ita graviter affectos, ut erecto corpore consistere nequeant.

d Hujus nominis morbum nusquam declaratum inveni. Si tamen conjectare fas sit, fortassis chyli; male elaborati, vitio, seu corrupta sanguinea massa laborantes intellexit Bernardus, nisi malis credere, descriptoris vitio to chiliaxi loco vocis chingrici expressum fuisse.

e Epileptici seu rectius epileptici, sunt comitiali morbo; seu vulgo malo caduco, laborantes.

f Notiora passim sunt hæc facta, quam ut de singulis nonnulla annotari debeant. Dicitur autem S. Martinus Sabariensis, quod Sabaria in Pannonia natus sit. De eo agendum, si Superis placet, die 11 Novembris.

g Agridium pro auxilio, seu celesti medicina hic sumitur.

h Per sagula hircorum vellera hircorum designat, alluditque ad verba Christi apud Mattheum cap. 25, v. 32 et 33.

i Subditur in apographo nostro oratio ad S. Fidem, quæ Benedictio ad episcopum inscribitur, hisque verbis concepta est: Benedicat vobis Redemptor humani generis, Filius Virginis, beatissime Fidis intercedentibus meritis, quique eam ad exemplum veræ fidei voluit martyrio decorari, ita vos faciat sibi famulari, ut inter cælorum cives mereamini connumerari, et qui ad Virginis sacræ vos fecit celebritatem convenire, dignetur sua vos benedictione perfundere, et ad spiritualium præmiorum gaudia perducere, quod ipse præstare etc.

APPENDIX

MIRACULORUM.

§ I. Cur hæc miracula edantur. Invocans S. Fidem subito convalescit: auctoris frater invocatione S. Fidis gravi morbo mox curatur: mulus, invocato ejusdem patrocinio, vitæ redditus: mulier, ei annulum offerre subterfugiens, divinitus punita; facti poenitens curata: mulier sterilis ejusdem patrocinio fecundata.

Quamquam, quæ ex apographo nostro Ms. coelicis reginæ Sueviæ jam nunc edidi, conscripta per Bernardum, Andegavensem scholasticum, Miracula abunde comprobent, sanctissimam Martirem nostram virtutum signorumque gloria vix uni e celeberrimis virginibus concedere, ac proin nonnulli, iique præsertim, quibus prolata mirabilium narratio arripere non solet, minime mihi succederent, si alia quedam, quæ tum apud Labbeum in Nova Bibliotheca Mss. tom. II,

Cur alia a Bernardo scripta miracula hic edantur.